LITTERAE PASTORALES AD CLERUM ET POPULUM MUTINENSEM AC...

Francesco Emilio Cugini

OPUSCOLI

RACCOLTI DALL' ABATE

DOMENICO CAPRETTA

DI

CENEDA


Volume 31

Solo n.i 1, 2, 11, 19, 25, 27, 56, 57, 58, 59, 61, 64, 69, 70, 71, 72, 77, 92.

LITTERAE
PASTORALES

AD CLERUM ET POPULUM

MUTINENSEM AC NONANTULANUM



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA BONARUM ARTIUM
MDCCCLII

FRANCISCUS AEMILIUS CUGINI

PATRITIUS REGIENSIS

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

SANCTAE MUTINENSIS ECCLESIAE EPISCOPUS

AUGUSTAEQUE ABBATIAE S. SILVESTRI

DE NONANTULA NULLIUS ETC.

ABBAS ET PERPETUUS COMMENDATARIUS

VENERABILIBUS FRATRIBUS DILECTISQUE FILIIS
CANONICIS CLERO AC POPULO UNIVERSO UTRIUSQUE DIOECESIS SUAE

Salutem In Domino Sempiternam

Quum caelesti prorsus consilio factum jam sit, Venerabiles Fratres Filiique carissimi, ut chrismatis sancti infusio, manus divino afflante Spiritu impositae, et pastoralis insignia muneris tradita Nos, licet omni titulo ac honore indignissimos, isti vestrae Ecclesiae Civitatique arctissimo veluti nexu devinxerint, operae pretium fore arbitramur, si ceteris omnibus posthabitis ad ea quae officii nostri sunt animum cogitationes ac studia nostra omnia, nulla mora temporis interposita, conferamus. Quamvis autem in hac Urbe et Ecclesia, quae omnium Mater est et Magistra, degimus adhuc a Vobis magno locorum intervallo disjuncti, ex hoc tamen Principis Apostolorum domicilio istuc ad vos unice spectat animus noster, et benevolentia, officio atque incredibili quadam divinitus indita caritate adducitur ad alloquendam absentem familiam, atque ad paterna animi sensa fi-

liis amantissimis patefacienda: quandoquidem Pastoris vestri atque patris personam sustinere Pontificis Maximi seu potius ipsius Dei nutu ac voluntate coacti sumus. Quo de munere altius paullo rationem repetentes, hoc potissimum dicendum esse ducimus; quod cum primum de ipso nobis imponendo ageretur a clementissimo Duce nostro Francisco V atque a Summo hoc Pastorum Principe, cujus judicio tamquam Dei ipsius voci obtemperandum omnibus est, equidem tanti oneris molem et magnitudinem toto animo refugiebamus, veriti ne sub ipsa nos vires destituerent, ac proinde aliquando ipsi corrueremus. Quippe qui imbecillitatis nostrae, experientia etiam, satis conscii cum Leone Pontifice maximo atque sanctissimo nihil magis formidandum esse putabamus, quam labor fragili injunctus, sublimitas humili imposita et dignitas in immerentem collata (1). Quare cum a Deo O. M. tum ab iis quorum hac de re intererat singulari studio et enixis precibus contendimus, ut tam gravi metu infirmus noster quidem at a cupiditate omni longe remotus animus liberaretur. Quod simul ac nullo prorsus pacto consequi nos posse novimus, primum trepidare, moerore confici atque improviso quodam stupore corripi: nostram deinde tenuitatem respicere ac demirari, vocem denique una cum Ioanne Chrysostomo extollere cepimus: « num vera sunt quae nobis acciderunt? num reipsa » gesta sunt? nec nos falsi sumus? neque quae fiunt, sicut nox » et somnium (2)? »

Atque haec non exornandae orationis causa, sed prouti reipsa evenere vobis exposita sunt, ut plane intelligatis et probe sciatis, nos quamvis tanti muneris molem subituros, eadem tamen de tenuitate nostra, de gravissima ratione muneris et de periculi magnitudine praeconcepta opinione teneri, eodemque timore percelli. Et re quidem vera nonne ipsa officii atque oneris ratio ea est, ut vel cuilibet sanctissimo et sapientissimo plurimum timoris facere debeat? Nonne hoc illud oneris genus est, quod ne susciperent tantopere contenderunt praestantissimi Ecclesiae Patres atque omnium doctorum facile principes Basilius, Chrysostomus, Augustinus, Gregorius aliique perplures horum similes summi viri? Nostis, Venerabiles Fratres Filiique carissimi, ipsi vos

(1) S. Leo Serm. 2. in die suae assumpt.
(2) Orat. ad pop. Antioch.

nostis hoc munus praegravi animorum regimine contineri, atque adeo excellere, ut *ars artium et divinorum omnium divinissimum* recte admodum sit definitum (1). Nostis illud ardua plura et inventu difficilia requirere et hominem sibi talem expostulare, in quo nullus unquam pateat reprehensioni locus. Quando antem quisquam reperietur tantae dignitati par, et dignus qui ad illud decus et honoris gradum evehatur ? « Oportet, ait S. Paulus, » Episcopum irreprehensibilem esse . . . sicut Dei dispensato- » rem . . . hospitalem benignum sobrium justum sanctum con- » tinentem amplectentem eum qui secundum doctrinam est fi- » delem sermonem, ut potens sit cohortari in doctrina sana, et » eos qui contradicunt coarguere, ut is qui ex adverso est ve- » reatur nihil habens malum dicere de nobis (2) ».

Enimvero fatendum est haec omnia nisi in hominibus fere caelestibus vix reperiri ; utpote quae multo plura quam nativa hominis imbecillitas ferre possit, exquirant. Verum enimvero haec omnia apostolicum officium decent, cujus qui a Deo vocati sunt participes fieri, sibi non cum lupis ac furibus dimicandum esse sciant, sed adversus hostes multitudine innumerabiles, immanitate incredibili et natura praestantissimos. « Non est nobis collu- » ctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus . . . re- » ctores . . . tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae (3) ». Quare non dextra vel ferro, sed consilio doctrina patientia longanimitate prudentia vigiliis laboribus atque omni virtutum genere tamquam *ordinata acie* adversus hostes hujusmodi est decertandum. Quaenam igitur ea erit sedulitas et industria in qua tuto conquiescamus ? Quaenam sapientia et cura tum in grege pascendo tum in ovibus excolendis officio par esse poterit ? Quaenam prudentia et caritas in omnibus complectendis inque moribus dirigendis et corrigendis ? Quaenam demum supra hominum modum praeclara animi firmitas cum in ferendis adversis omnibus tum etiam in semetipso tamquam *murum pro domo Israel opponendo* ? Atqui huc respectat omnino illud Christi Domini solemne effatum *luceat lux vestra*, quo sub *lucernae* imagine *super candelabrum lucentis* praedicandi fiduciam nos docet, ne forte ob metum similes *lucernae sub modio* simus,

(1) S. Greg. Past. P. 2. c. 1. — Dionys. de coel. Hier. c. 3.
(2) 1. ad Tim. c. 3. — ad Tit. c. 1 et 2.
(3) Ad Eph. c. 6. — Jo. Chrys. de Sac. lib. 2.

sed potius ut cum apostolici muneris libertate in campum venire non vereamur (1). Idque sane eo apertius, quo turbulentiora sunt in quae incidimus tempora, de quibus vaticinatus videtur Apostolus, cum dixit: « erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur (2) ». Quamobrem quicumque pastorale hoc munus sibi impositum habet, is plurimum negotii se habere putet: plures enim ubique sunt homines qui vel voluptatum illecebris, tamquam funesta quadam fascinatione, decepti ad eas perinde ac ad sirenios scopulos adhaeserunt; plures qui impietate atque errore veluti laqueis irretiti et pertracti in omne nefas ruere properant et mortem occumbere sempiternam. Atqui de istis hominibus cura nobis debet esse quam maxima, et ut aliquando convalescant, et ut, quoties in praeceps ruunt, nostra illis intercessione occurramus. Quod quam per se arduum sit quamque difficile qui ignoret esse arbitramur neminem; videtis enim in quo cursu simus: videtis quam acri atque assiduo impiorum hominum ministerio fere omnia errorum omnium portenta propagentur, nefaria atque omni peste pestilentiora volumina *tamquam maledictio super faciem terrae egrediens* (3) disseminentur, et teterrimo quodam temeritatis atque violentiae genere divina omnia atque humana ita permisceantur, ut universale quoddam insaniae atque impietatis certamen susceptum esse contra Deum et homines videatur.

Nec minus praeterea in tanto munere suscipiendo animo commovebamur ex ipso Mutinensis istius Ecclesiae peculiari gloria atque praestantia. Ea enim est quae antiquitate, virtutis fama et venerabilium Praedecessorum nostrorum sanctimonia doctrina atque sapientia perpaucis cedat, quamplurimas antecellat; ad quam prae ceteris et recens novo cum onere decus paucis ante annis accessit, cum hujus Antistitis curae universa Abbatis Nonantulani percelebris regio et vetustissima una cum ipso titulo est demandata. At quod multo plus negotii nobis facturum putavimus, illud profecto est, ut nos quidem adeo tenues

(1) Matth. c. 5. — S. Hier. l. 1. comment. in Matth. 5.
(2) 2. ad Tim. c. 4.
(3) Zach. 5. 3.

et infirmi in vestra ista spectatissima civitate pastorem, patrem et praeceptorem communem agere debeamus : in ea scilicet civitate vestra, quae tota Italia semper habita est foecundissima virorum omni virtutis et doctrinae laude praestantium parens, quae tam multos habuit et protulit principes homines et magistratus amplissimos et sapientissimos, quaeque tam multos quotidie profert cum civilis oeconomiae universae, tum etiam bonarum artium, et disciplinarum omnium cultores, ut veluti virtutis sedes atque omnimodae eruditionis domicilium jure merito dici possit.

Itaque cum apostolicum hoc Pastoris officium tam multis per se difficultatibus obsitum sit , tamque multas tum nativas tum coelestes animi dotes atque virtutes expostulet, cum temporum nostrorum perversitate multo magis difficile et arduum sit, cum denique noster hic animus fere nullam ad tantum civitatis vestrae decus atque splendorem in se parem habitudinem sentiat, nihil omnino est, cur aliquis timorem hunc nostrum nimium et nimis ab re esse existimet, et forte, sin minus improbet, at certe demiretur. Quis enim est adeo rerum omnium et temporum ignarus et plane rudis, qui haec omnia suis ipse oculis non perspiciat, et peringentes quos nostrum hoc munus secum habet timores atque difficultates audeat diffiteri? Nonne igitur nos libentius in privatorum subselliis latuissemus ? Exiguus jam dudum nostra in patria nobis traditus fuerat grex, quem ducere atque dirigere assueveramus, quique sua se nobis benevolentia et docilitate recte honesteque commendabat. Atque utinam divini Providentia Numinis nobis datum esset, ut nunquam essemus ad maximam sollicitudinem a minori illa cura traducti ! Nos quidem civibus nostris nobis carissimis et discessu nostro moerentibus non caruissemus; vetus templum nostrum in quo ab ineunte aetate Deo O. M. nos mancipaveramus perpetuo excoluissemus , et iisdem ordinis nostri sodalibus praeclarissimis , quibuscum nobis summa concordia et quotidiana consuetudo intercessit, valde adhuc familiariter uteremur ; vos autem, Ven. fratres filiique carissimi , profecto meliorem alium , quicumque ille esset, et multo quam nos amplissimae hujus Ecclesiae digniorem Antistitem haberetis !

At quoniam Deus ille summus *qui infirma mundi eligit ut confundat fortia . . . , ut non glorietur omnis caro in*

conspectu ejus (1) hanc nostram tenuitatem e tenebris emergere jussit, et in luce atque oculis omnium collocatam voluit, nobis toto animo et pro viribus danda est opera, ut et vestri omnium studiosi apprime simus et prono obsequio ac fiducia ipsius Dei salutiferam et benevolam voluntatem nobis conciliemus. Ille ipse est qui nisi divinam ejus providentiam quoquo modo diffiteamur, suis nos opibus juvat atque confortat: haud sinit nos *tentari supra id quod possumus*, *sed faciet cum tentatione proventum ut possimus sustinere* (2). Quare intentos in coelum oculos defigentes *unde veniet auxilium nobis* spem prorsus omnem in Deum conjicimus, qui olim Moysi e grege Jethro ad populum suum pascendum accito auxiliatus est, quique rudes homines et piscatores ad docendas gentes omnes emisit novi Testamenti Apostolos praestitutos. Ergo quam primum ad vos istuc properabimus, non in spiritu legum Datoris, sed ut *Ministri et Dispensatores mysteriorum Dei, pro Christo legatione fungentes*; *non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis* (3). Compertum quidem habemus quanta in vestra ista civitate et universa Dioecesi providentissimus Pater Deus nobis auxilia paraverit, ne moles tantae magnitudinis nos unquam opprimeret. Tenuitatem hanc nostram sublevat benevolentia et humanitas vestra qua nos profecto excipietis: catholicae autem religionis amor qui hic integer viget animum nostrum dejectum plane eriget. Viget enim adhuc inter vos prisca fides atque intaminato lucet honore: viget summa in Deum et Christi Ecclesiam pietas et in Apostolicam Cathedram observantia singularis. Hinc spem magnam fovemus animo quam nobis metipsis jam nunc libenter proponimus, quaque jam isthinc bene imbuti vos omnes volumus, Venerabiles Fratres filiique carissimi, participes esse sollicitudinis nostrae et multum praeterea consilio judicio sapientiae et benevolentiae vestrae tribuere destinamus.

Vosque imprimis, Venerabiles ex Canonicorum collegio fratres nostri, decus et praesidium nostrum, vos in ista Ecclesia veteris disciplinae servandae, divinae gloriae propagandae et communis

(1) 1. ad Cor. c. 1.
(2) 1. Cor. c. 10.
(3) 1. ad Cor. c. 2.

utilitatis promovendae nobiscum eritis auctores custodes adsertores. In vestro nobilissimo consessu qui istius *Ecclesiae Senatus est* (1) magnam spei nostrae partem libentissime collocamus; siquidem ex insigni vestra pietate, ex vestra in nos benevolentia id jure merito nobis pollicemur, ut quantum auctoritate consilio usu et experientia rerum valetis, tantumdem auxilii ad nostri muneris gravitatem sublevandam simus habituri. Vos in isto civitatis principe templo, quod Lucius III P. M. consecravit, divino obsequio devincti tanta pietate ac tanto religiosi cultus amore Ecclesiam istam illustratis, ut in hac ipsa vestra diligentia et industria multum suavitatis et decoris nobis constitutum esse putemus. Vos *jam hinc angelorum candidati caelestem in Deum vocem et officium futurae claritatis ediscitis*, vos *juge sacrificium laudis* pro nobis *Deo immolatis* (2) ne aliquando defatigati nobis metipsis et populo universo desimus. Ad haec eam vitae rationem, quam suscepistis, et in posterum sancte servate; ac sicut ceteros omnes ordine et auctoritate, ita et virtute et sapientia et optimarum rerum scientia antecedite. In vos quotquot in *sortem Domini* electi et vocati sunt oculos animumque convertunt ad sinceram pietatem caritatemque informandi: ergo in vobis virtutes omnes suspiciant necesse est, nec quidquam unquam offendant, quod non sit plenissimum dignitatis.

Vos quoque quam maximo nobis usui eritis, et in pastorali sollicitudine adjutores solertissimi, Curiones urbani et quotquot estis in utraque Dioecesi pastores, quibus bonus ille pastor Iesus *veluti amoris sui vicariis* (3) *illum qui in vobis est gregem Dei pascendum tradidit*, quique *estis presbyteri in populo a quibus pendet anima eorum* (4). Vobis ad fidei et evangelicae legis normam dirigendus est populus; vestrum est homines Deo placare et plane restituere. Ergo *omnibus omnia facti, tamquam si nutrix foveat filios suos* (5) populum erudiendum, pueros praesertim religionis amore et omni virtutum genere instruendos lubenti animo suscipite. In iis quae geritis

(1) Conc. Trid. sess. 24. de Ref. c. 12.
(2) Tert. Proem. in Ps.
(3) Ambr. in c. ult. Luc.
(4) Judith. c. 8.
(5) 1. ad Thessal. c. 2.

***

quaeque sequimini hoc maxime satagite, ut tum omnes tum singuli quibuscum agitis optime sibi persuadeant, se a vobis paterne amari. Equidem *novimus opera vestra bona*: compertum habemus, vos pondus diei et aestus alacriter sustinere, nec ab ovium cura unquam deficere nisi omnia primum experti fueritis. Ast in tanta delirantium ruina nunquam satis factum esse curis nostris industriisque nobis persuadeamus. Quid enim nobis fieret, fratres carissimi, si *depositum, quod Christus proprio sanguine pretiosius judicavit, contingeret negligentius custodire* (1)? « Haec dicit Dominus: vae pastoribus Israel . . . quod infirmum « fuit non consolidastis, quod aegrotum non sanastis, quod pe- « rierat non quaesistis. Ecce ego ipse super pastores requiram « gregem meum de manu eorum et cessare faciam eos ut ultra « non pascant gregem (2).

Haec animadvertant et sacerdotes omnes, quos nullo unquam pacto hoc latere potest, « *quod si,* ut ait Chrysostomus, « *sacerdos suam tantum disposuerit salvare animam et alie- « nas neglexerit, cum impiis detrudetur in gehennam* ». Unumquemque igitur vestrum obsecramus, fratres carissimi, ut aliorum salutem lucrum faciat sibi suum; idque duplici sane modo, morum probitate et doctrina. Non est cur de aliis ad vitiorum fugam et virtutis amorem excitandis solliciti sitis, nisi omni totius justitiae atque integritatis laude emineatis. *Vita vestra aliorum debet esse praedicatio salutis* (3). *Mores edunt voces omni tuba clariores, nec tam considerantur quae dicuntur, quam quae a nobis agantur* (4). In vos tamquam in speculum reliqui omnes conjiciunt oculos et sumunt ex vobis quod imitentur. *Sancti* igitur *Deo estote et non polluetis nomen ejus* (5). Prae oculis habenda vobis est dignitas vestra, qua in tota hac rerum universitate nihil extat excellentius (6). In id semper incumbite, ut de vestrae probitatis fama nihil unquam jure a quovis detrahatur: scitote splendidae vestis turpiores esse sordes, manifestiores et maculas. *Nemo igitur militans Deo implicet se*

(1) S. Bern. serm. 3. in Adv.
(2) Ezech. c. 34.
(3) Aug. serm. 244. de temp.
(4) Chrys. hom. 15. in Matth.
(5) Levit. c. 21.
(6) Ambr. de dignit. Sacerd.

negotiis saecularibus (1). Verum unusquisque vestrum *sibi attendat et doctrinae* (2): etenim et doctrinae laude clarescere oportet ministros Dei. « Labia sacerdotis custodient scientiam et legem « requirent ex ore ejus (3) ». At vero tum scientia tum lex est in aperto ponenda; quandoquidem et qui ex adverso sunt quid sentiant, quid velint jam nimium ubique patefecerunt. Sunt etiam *prophetae insipientes, qui vident vana et divinant mendacium et decipiunt populum* acriori quidem supplicio prae ceteris plectendi (4). Vos contra, fratres carissimi, in rerum divinarum intelligentiam intendite animum: vos quod verum quod justum sanctumque est unice semper docete. Constat sane nobis spectatissima doctrina vestra; constat et docilitas saluberrima qua illico respuenda et damnanda esse censetis quae Christi Ecclesia et Pontifex Maximus damnat et respuit. Atque utinam sanctissimi propositi in dies tenaciores sitis! Tanti momenti hoc negotium est, ut nunquam abs re sit de ipso verba facere, nec satis unquam vobis inculcetur. Ea igitur qua possumus contentione vos commonemus et per communem salutem perque Iesu Christi Sanguinem obsecramus, ut vel ipsas *profanas vocum novitates devitetis,* (5) suspectam quamcumque doctrinam abjiciatis et paginas omnes toto animo exhorreatis, quae a sinceris Romanae Cathedrae documentis vel levissime abludunt. Ante *omnia mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes* (6), *unum omnes sentite et sapite:* quo alter alteri devinctior est, eo felicius in hac sancta militia stipendia faciet: « Ambulate « igitur in domo Domini cum consensu; pacem habete, et Deus « pacis et dilectionis erit vobiscum (7) ». Atque hic non possumus quin paucis verbis detineamus et vos, adolescentes optimi, qui *bonum* ducitis Christi *jugum portare ab adolescentia*, regale sacerdotium in vobis propagaturi. Vos a saeculi negotiis abalienatio, vos morum sanctitas, vos pietas in Deum inque homines caritas, vos animi demissio et puritas, vos docilitas, vos in

(1) 2. ad Tim. c. 2.
(2) 1. ad Tim. 4.
(3) Malach. c. 10.
(4) Ezech. c. 13.
(5) 1. ad Tim. c. 6.
(6) 1. Petri c. 4.
(7) 2. Cor. c. 12.

majores obsequium decet, et virtutum omnium parens obedientia numeris omnibus absoluta. Optimum sane cursum iniistis, praesertim qui in nostris Seminariis vitam degitis a saecularium hominum consortio longe gentium absentes. Duo tamen vobis summopere cavenda sunt; primum ne instrumentis et opibus a Deo vobis ad religionem illustrandam datis per inertiam abutamini; alterum ne quidquam aliud praeter Deum in vestris studiis et tota vitae vestrae ratione spectetis. Dominus ipse *Iesus sit vobis ostium* (1) per quod introeatis in Sancta, ne forte hac in re decepti vobis ipsi temere *sumatis honorem*, de quo praecipit Apostolus Paulus, « nemo sibi sumat, nisi qui vocatur a Deo » qua quidem temeritate nihil sane Ecclesiae Dei deterius contingere potest, nullaque alia nobis capitalior pestis est pertimescenda: etenim *fieri nequit*, ut bono *peragantur exitu quae malo sunt inchoata principio* (2). Haec animo bene perpendite, adolescentes optimi filiique nobis carissimi: pastoris vestri et patris vocem audite; ne quis forte sibi suisque rationibus pessime consulat, et post hanc vitam misere toleratam damnum faciat sempiternum. Ad nos nostrumque munus quod attinet libentissime quidem sacris ministris abundaremus; tamen nullo unquam officio ad manus alicui imponendas adducemur, nisi re bene perspecta divinae *vocationis et electionis* prorsus certi fuerimus; apostolicum illud: *manus nemini cito imposueris* (3) habemus prae oculis, et ex Lateranensis Concilii IV praescripto *in ordine sacerdotum* satius atque praestantius esse ducimus *paucos bonos, quam multos malos habere*.

Nec vero de iis auxiliis quae e spectatissimo Regularis cleri ordine Deus comparavit et nostrae isti Ecclesiae addidit silere possumus. Vos scilicet appellamus evangelicae perfectionis aemulatores, qui Benedictum, Dominicum, Franciscum, Ignatium et Alphonsum, parentes sanctissimos et Duces strenuissimos, seu potius Christum Dominum *quocumque ierit* cum illis secuti estis. Vos quoque omnes et singulos optimo complectimur animo et paterna caritate prosequimur sive psalmos et cantica Deo canitis, sive populum ad justitiam et adolescentes, eam nempe populi

(1) Jo. c. 10.
(2) S. Leo Serm. 1. in Assumpt.
(3) 1. ad Tim. c. 5.

partem quae impensiori sollicitudine fovenda est, ad bonas artes pietatemque instruitis, sive demum Verbum Dei in Ecclesia disseminandum et pauperes evangelio imbuendos suscipitis. O homines Dei obsequio et Ecclesiae natos, memores nominis vestri, imitatores majorum ! Quibus verbis vos alloquemur ? » Hortamur vos per communem fidem, per pectoris nostri veram circa vos et simplicem caritatem, ut qui adversarium prima congressione vicistis, gloriam vestram forti et perseveranti virtute teneatis. Adhuc in saeculo sumus, adhuc in acie constituti de vita nostra quotidie dimicamus : danda opera est ut post haec initia ad incrementa quoque veniatur, et consummetur in vobis quod jam rudimentis felicibus esse cepistis. Parum est adipisci aliquid potuisse : plus est quod adeptus es posse servare » ; (1) usque adhuc cursum jampridem ceptum bene estis prosecuti ; ad reliquum igitur iter conficiendum viam vobis munite : quandoque Divinus ille Dux noster Christus ad verticem montis Thabor invitat suos ; lubenti animo vos illuc accedite ; at frequenter *ad eum qui dicitur Calvariae locus* nos ipse ducit; lubentissime properate, hominibus quidem despicatui eritis; at contra *qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos* (2) ».

Nec vos praeterit oratio nostra, Virgines Deo sanctae, quae *ad nuptias pertinetis in quibus sponsus est Christus* (3). Vos gaudium Ecclesiae impletis et communem sanctorum laudem cumulatis: vos enim quid nostra natura cum divina gratia valeat supra communes vires ostenditis, cum *e coelo accersitum sit quod imitamini in terra* (4). Vos angelicam puritatem aemulantes majorem prae angelis laudem consequimini : » angelicam enim gloriam acquirere majus est quam habere : esse angelum felicitatis est, virginem esse virtutis » (5). Aptate igitur lampades vestras ut semper caelesti Sponso occurrere valeatis. Quaecumque optimam cum Maria partem elegistis et secus pedes Christi Domini estis veluti in portu constitutae pro iis omnibus exorate qui saeculi hujus mare scopulosum navigant; quaecum-

(1) Cypr. ep. ad Rogat.
(2) Ps. 52.
(3) Tertul. lib. 1. ad Ux. c. 8.
(4) S. Ambr. lib. 1. de Virg.
(5) S. Petr. Chrys. serm. 143.

que autem cum Martha aliquid sollicitudinis sortitae ea Christi membra pascitis quae debiliora sunt, curate quaesumus, ut quo miserabilior humana natura est, eo major atque vividior appareat in eam *Caritas et Providentia* a quibus nomen habetis. De cetero nos maxime gratulamur vobis, tum quia pauperes aegros et debiles senes sustentatis, tum quia puellis quae mutae et surdae sunt pene aurium et oris usum restituitis et Dominum ipsum haec in diebus carnis suae facientem quodammodo imitamini. Quem et vos Ducem sequimini qui dignioris sexus misericordia tacti easdem in surdos mutosque pueros curas atque eadem beneficia conferre Deo bene juvante cepistis. Vobis quoque summopere gratulamur qui quocumque modo pupillis et orphanis facti adjutores piam illis manum porrigitis, inopesque tum pueros tum puellas christianam pietatem peramanter edocetis: quos inter de vobis silere non possumus, Sacerdotes optimi, qui collectos pauperum adolescentium greges ac sub S. Philippi tutela et nomine constitutos omnibus tum christianae tum civilis vitae praesidiis communitis, Dominum audientes qui dicit : » quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis » miminis, mihi fecistis (1). Nec minori vos benevolentia complectimur quos ex laicorum ordine Dei Spiritus in sacras florentissimasque sodalitates coalescere fecit, et tum sibi tum divinae domus cultui mancipavit » caritate fraternitatis invicem dili» gentes, sollicitudine non pigros, spiritu ferventes, orationi in» stantes » (2).

Ac jam Sanctuarii limen praetergressi ad vos primum gradum facimus, Optimates, Principis providentissimi adjutores in re publica moderanda, qui vel militari vel civili titulo et gradu conspicui communi bono sapientissime prospicitis : tum etiam ad vos qui municipalibus fungimini muneribus et in civium commoda solertissime incumbitis. Enimvero optima vestrum omnium voluntas et servandae justitiae amor et caritas in cives ac providentia singularis, tum et spectatissima in Deum pietas ac religio ubique praedicatur. Vestris porro laudibus cumulum accessurum arbitremini, si quemadmodum religionis officia ipsi in exemplum expletis, ita acriori in dies studio religionem ipsam

(1) Matth. 25.
(2) Ad Rom. c. 12.

semper in quocumque negotio tueamini et magis magisque promoveatis ; quandoquidem potissima optimi regiminis causa habenda est religio et communis boni parens atque altrix. Neminem vestrum latet praeceptum Domini : *reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo.* Atqui Caesaris rem nemo melius procurat , quam qui id assequi totis viribus studeat ut Deo in primis reddantur omnia quae Dei sunt : nec raro contigisse accepimus ut ii populorum rectores qui communis patris Dei jura ac piae matris Ecclesiae commoda tueri neglexerunt, subditos sibi suos aversos et perduelles serius ocius nacti sint. Populorum perturbationes ac motus nemo praecavet securius, quam qui auctoritatis suae custodem Deum habet : nemo comprimit fortius, quam qui religione sequestri aestuantia corda demulcet, sine qua et morbi animi sanari non possunt et imperantium majestas ipsa vilescit.

At enim tempus est ut ad vos verba faciamus, Doctores praestantissimi , qui in ista studiorum Universitate scientiarum disciplinas traditis, quorum in numerum et nos quondam cooptati fuimus, quibusque iterum Archicancellarii titulus, veluti novum quoddam vinculum, arctius nos obligat. Optima vobis demandata est provincia quum juventuti instituendae praefecti estis; quam quidem religio nostris maxime hisce temporibus trepida atque exterrita intuetur. Quanam enim perversitate fieri dicamus, ut adolescentes qui scientiae hauriendae causa Universitates studiorum concelebrant, animo saepius religionem pietatem et ipsam humanitatem exuant atque abjiciant ? Non est cur ipsa religio scientiarum lumen sibi esse formidandum putet: est enim religionis auctor Deus ille qui *Dominus scientiarum est:* nec veritas veritati unquam adversatur. Ipsi vos qui tanta excellitis doctrina atque prudentia, ipsi vos nostis quam arcte religio nostra sanctissima bonis artibus et disciplinis omnibus copuletur, quamque praeclara iis attulerit incrementa. Quid est igitur quod tantum detrimenti religio exinde non raro capit ? Sane in aperto sunt artes impiorum; qui omnem lapidem sibi movendum esse putant, ut perversa delirantium sapientia mentes adolescentium subvertant, et cereos animos pessimis moribus et exemplis corrumpant. At id etiam compertum esse debet, quod fatua est illa sapientia aerumnosaque omnis scientia quae Dei timore non informatur. Haec, quaesumus vos, diu multumque animadvertite,

sapientissimi viri: et ab infectis fontibus alumnos vestros prohibete. Impii quidem humanis disciplinis ad religionem et societatem, quae nisi ex ipsa religione consistere potest, evertendam abutuntur: vos e contrario omne operae pretium facturos esse existimate, si argumentis ex humana ratione atque eruditione petitis insana impiorum commenta penitus disjiciatis. Hoc alumnorum bono, hoc Athenaei nostri decori promovendo, hoc illi laudi augendae quam et vitae integritas et doctrinae puritas vobis conciliant, hoc demum communi saluti societatis universae constabiliendae maxime tutum erit ac certissimum praesidium.

Vos tandem omnes una alloquimur, quos omnes intima cordis caritate complectimur, vos scilicet quotquot estis cujuscumque ordinis ac status in utraque Dioecesi nobis concrediti Christifideles nostra corona et gaudium nostrum. Memores estote vos a Christo Domino in admirabile lumen suum vocatos *genus electum esse gentemque sanctam ac populum acquisitionis, cui Deus judicia sua manifestavit.* Hortamur itaque vos et commonemus, ne in vacuum gratiam Dei sinatis abire, utque opera vestra christianae professionis dignitati ac sanctitati respondeant. Qui nobilitate generis vel divitiarum splendore ceteros antecellitis, mementote haec vobis bona ex Dei largitate provenire, eique postea de collatis omnibus strictam rationem vos esse reddituros. Vestrarum itaque partium est primo quidem, ut e sublimiori illo loco, in quo positi estis, virtutum omnium exemplo ceteris praeluceatis; tum vero ut tamquam fideles divinae providentiae ministri vestra abundantia aliorum inopiam sublevetis: hoc enim vobis necessarium est, nec aliter potest ad aeternam vitam patere vobis accessus. Nam « qui habuerit substantiam hu-
» jus mundi et viderit fratrem suum necessitatem habere et clau-
» serit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? » Qui autem humili loco constituti divinam illam vocem vita vestra factoque exprimitis *in sudore vultus tui vesceris pane* (1), cavete summopere ne divina in vos consilia temere incusetis aut intolerabili cuidam fato addictos vos esse conqueramini: siquidem et *faciliorem habetis paratam vobis viam ad salutem obtinendam* (2), et Christi ipsius imaginem refertis, qui cum esset Domi-

(1) Gen. 3.
(2) Encycl. Pii IX. ad Episc. Italiae.

nus omnium, propter nos egenus factus est: ad vos autem potissimum ejus vox pertinet *beati pauperes*, dummodo non re tantum sed et spiritu pauperes sitis. Quacumque demum vitae ratione utamini, filii carissimi, considerate sedulo et crebra animi cogitatione pervolvite nos tamquam hospites et peregrinos in hoc mundo versari: non enim *habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*. Nefas est terrenarum rerum sollicitudine defixos nos teneri, quibus caelestis Patris haereditas et immortalis vitae gaudia promissa sunt. Neque ex hoc periturae substantiae contemptu quidquam vobis obventurum damni timeatis: ille enim ipse in cujus *ditione cuncta sunt posita* (1), hunc a fidelibus servis suis arcet timorem quum dicit: « quaerite pri- » mum regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis (2) ». In hoc vero potissimum servos fideles vos Christo praebebitis *si dilectionem habueritis ad invicem* (3). Nam « si » diligamus invicem, Deus in nobis manet et caritas ejus in » nobis perfecta est . . . . Siquis autem dixerit quoniam diligo » Deum, et fratrem suum oderit, mendax est (4) ». At quoniam « sine fide impossibile est placere Deo » hoc in vobis ipsis caeleste donum omniumque pretiosissimum quanta potestis vigilantia solertiaque custodite. Itaque Sanctam Romanam Ecclesiam » in qua extat fidei irreformabile magisterium a divino Redemptore fundatum (5), tamquam dociles infantes matrem, audite. Loquitur adhuc ex illa Cathedra Petrus, cui confirmandorum fratrum munus divinitus demandatum est, et suborientium errorum caligines luce dissipat veritatis. Excipite reverenti animo quae praedicanda gregi nostro mandat et praecipit beatissimus Petri Successor, quaeque contra recentes errores nobis vobisque commendat. « Hodierni, ait ipse (6), Dei atque humanae socie- » tatis hostes nihil inausum relinquunt, ut Italos populos a no- » stro et S. Sedis obsequio divellant, rati id demum posse con- » tingere, ut Italiam ipsam impietate doctrinae suae et novorum » systematum peste contaminent . . . Inferioris praesertim sta-

(1) Esth. 3.
(2) Luc. 12.
(3) Jo. 3.
(4) 1. Jo. 4.
(5) Encycl. supra cit.
(6) Encycl. supra cit.

» tus homines suis deceptos fallaciis continuis commotionibus » exagitant atque ad graviora paullatim facinora exercent, ut » postmodum illorum opera uti possint ad superioris cujusque » auctoritatis regimen oppugnandum . . . Moneantur itaque fi- » deles pertinere omnino ad naturam ipsam humanae societatis, » ut omnes auctoritati obtemperare debeant legitime in illa » constitutae; nec quidquam commutari posse in praeceptis Do- » mini quae in sacris Litteris ea super re annuntiata sunt: sub- » jecti estote omni humanae creaturae propter Deum sive regi » quasi praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis (1) ».

Cum autem ex nobis sufficientes ad haec omnia praestanda esse non possimus et omnis sufficientia nostra ex Deo sit « adeamus cum fiducia ad thronum gratiae ut misericordiam » consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno (2) ». Adeamus item Immaculatam Virginem Dei Matrem Mariam Parentem nostri amantissimam, per quam Deus ipse omnia nos habere voluit: et quemadmodum Genitricis Magnae in caelum assumptae potentiam et gloriam nostrum istud templum maximum nobis commemorat, ita et animos addat ut omnia nobis ex ejus pientissimo patrocinio polliceamur.

Adsit propitius Geminianus caelestis patronus ac verus *fratrum amator . . . qui multum orat pro populo* (3) qui toties civitatem istam vestram in maximis periculis servavit incolumem; adsint Sanctus Homobonus, Sanctus Contardus Sanctique Martyres Fabianus et Sebastianus una cum Beato Silvestro Pontifice Maximo et Sancto Abbate Anselmo qui Nonantulanae gentis tutelam suscepere.

Preces sine intermissione fiant pro Summo Pontifice ac Sanctissimo Patre Nostro Pio IX, ut qui post maximam temporum acerbitatem ab adversis ipsis animum et opes duxit ad universalem gregem procurandum et sospitandum, idem nunc decus Templi Dei et religionis augustissimam majestatem adversus impiorum hominum conatus plane vindicet et feliciter restitutam sustentet.

(1) I. Petr.
(2) Ad Hebr. c. 4.
(3) 2. Machab. 15.

Item vota cum precibus nuncupentur pro Excelso Duce et Domino Nostro Francisco V, qui majorum vestigiis insistens regiaeque domus suae virtutes in se referens in commune bonum perpetuo intentus nihil praetermittit eorum, quibus vel rei publicae salus ac firmitas constabiliri, vel privatorum utilitates promoveri possint : pro pientissima ejus Conjuge Augusta quae amplissimo honoris gradu, potestate atque opibus nisi ad calamitosos quosque erigendos et recreandos utitur ; tum etiam pro Regali Familia universa Deum rogate, ut revirescat et perpetuo floreat ad religionis dignitatem tutandam, atque ad vestram prosperitatem adserendam.

Fausta omnia a Deo precemur Principi Viro non minus virtute perfunctisque muneribus, quam genere et dignitate vere Eminentissimo, Ludovico de Alteriis, cujus ministerio episcopali consecratione hodierna die insigniti sumus.

Denique et pro nobis Deum Patrem luminum exorate, ut suis nos cumulet donis : sumus enim plane vestri : at vero quo abundantiori gratia instructi, eo vobis potiores erimus atque utiliores. Optamus quidem quantocius ad vos venire, et os ad os loqui ; ardemus enim animo vobis coram impertiri pastoralem benedictionem, quam interea in paternae caritatis argumentum praemittimus. Deus vobis gratiam tribuat et pacem suam quae exsuperat omnem sensum et custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu Domino Nostro.

Datum Romae extra Portam Flaminiam V Kal. Aprilis anno MDCCCLII ipsa die Consecrationis nostrae.

22